

omnes temporis particulæ subsicivæ: deinde consecrandæ feriæ scho-
lasticæ; quarum qui non vident necessitatem & usum, ii videntur
opinari, nos esse bajulos quosdam & operarios vulgares, qui debe-
ant & possint tractare diurnum opus ad certorum pensorum legem
& normam, sine ulla vel animi remissione vel ingenii cultura. Is
igitur, quem oratione fingimus, eclecticæ doctrinæ studiosus, omni
opera cura atque cogitatione cavendum sibi putabit, ne rerum, quæ
geruntur in rep. litteraria, rudis & ignarus, & quasi veterano quodam
oppressus languescat & torpescat. Etsi enim hujus ætatis nostræ,
quæ dicitur, litteratura sæpe afferat frigidissimas ineptias, nauseam
& tædium moventes, etsi acta litteraria redundant & scateant ingeni-
orum male sanorum figmentis ludicris ac pæne puerilibus, & legen-
da sint multa pestifera & detestanda evangelicæ veritatis inimicorum
scripta; solet tamen nunquam non esse quidam, rarus licet, bono-
rum librorum proventus & aliqua vel salutarium consiliorum vel
bonorum adjumentorum copia. Haec talia cognoscere plurimum
refert, haec curiose deligenda sunt & in rei scholasticæ usum con-
vertenda.

Ac profecto velim scire, qui tandem fieri possit, ut artium li-
beralium in scholis magister hodie muneri satisfaciat, qui, ut nihil
dicam de graecis latinisque litteris, religionis christianæ capita tra-
dit juvenibus aut philosophiæ initia, aut historias enarrat, aut ma-
thematicorum & physicorum artes strenue docet, aut geographiæ
elementa, de rerum statu, qui nunc est prorsus securus, & omissis
neglectisque omnibus iis vel inventis praeclaris, vel praesidiis & ad-
jumentis, quæ doctissimorum hominum studia conciliarunt huic
nostræ aetati? suis, opinor, inhaerescet dictatis & compilatis, aut
e juvenili institutione retentis. Hanc decantabit cantilenam, quic-
quid forte obstrepat seculi genius. Dabit se turpiter. Esto! Neque
enim salvari potest, qui medicinam non patitur! sed non hujus
deliri hominis & somniculosi res agitur & fama, verum universi ge-
neris, scholæ etiam, & quod maximum est, iuventutis. Huic erat
consulendum, nec spernenda illa doctrinae ratio eclectica, quæ,
diligenter observato litteraturæ progressu, cognoscit recentissima
quæque, ex his multa deligit, utitur optimis, atque ita prudenter
incedit & caute per has litteraturæ quasi salebras & scopulos, ut
salva & incolumis ad finem sibi propositum perveniat.

Et profecto, in hoc tanto rerum omnium discrimine aut nulla
B hodie